

8.45.16

*Impp. Diocletianus et Maximianus AA. Alexandro et Diogeni.*

Super empti agri quaestione disceptabit praeses provinciae: et, si portionem diversae partis esse cognoverit, impensas, quas ad meliorandam rem vos erogasse constiterit, habita fructuum ratione restitui vobis iubebit. nam super pretio evictae portionis non eum qui dominium evicerit, sed auctricem conveniri consequens est.

*PP. X k. Iul. ipsis IIII et III AA. consss.*

[a. 290]

8.45.17

*Idem AA. Muciano.*

Si, cum quaestio tibi super eo quem comparaveras commoveretur, auctorem tuum certum fecisti nec citra iudicis disceptionem eum quem emeras tradidisti:

Praeses provinciae in damnis, quae te tolerasse meministi, medelam iuris adhibebit.

*PP. V id. Nov. ipsis IIII et III AA. consss.*

[a. 290]

8.45.18

*Idem AA. et CC. Eutychio.*

Si status super homine tibi venumdato mota quaestio est, sollemnibus, quae iuris admittit ratio, interpositis si secundum libertatem fuerit lata sententia, poteris de evictione, si nesciens condicionem eius comparasti, sine aliqua dubitatione auctorem vel eius fideiussores heredesve eorum convenire. Quod si fuisse servum sententia declaraverit, intellegis ad venditorem te reverti non posse.

[a. 293]

8.45.19

*Idem AA. et CC. Theodoro.*

Si obligata praedia venumdedisti et longi temporis praescriptione solita emptores se tueri possunt, evictionis periculum timere non potes.

*S. II k. Mai. AA. consss.*

[a. 293]

8.45.20

*Idem AA. et CC. Solido et aliis.*

Si parentes vestri mancipia venumdederunt quaestioque dominii mota est, emporibus adesse ac defendere causam non prohibemini.

1 ¶ Quod si eis haec iam evicta sunt, instauratio litis ex persona vestra, si appellationem non interposuistis, contra ius desideratur.

2 ¶ Empti sane iudicio pro evictione si conveniri cooperitis, nec vobis, ut defendatis, negotium denuntiatum probetur, intellegitis, quatenus vosmet ipsos tueri debeatis.

*S. VI k. Iul. AA. consss.*

[a. 293]